

DIATRIBA,  
De  
PULVERE  
SYMPATHETICO,

*Quam*  
ANNUENTE DIVINI NUMINIS GRATIA  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO ATq; EXCELSISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO  
FRIDERICO WILHELMO,  
REGNI PRUSSIAE, & ELECTORA-  
TUS BRANDENBURGICI  
HÆREDE &c. &c. &c.  
GRATIOSO FACILITATIS MEDICÆ CONSENSU  
IN REGIA AD PREGELAM UNIVERSITATE,  
PRÆSIDE

BENJAMINO *Lwaldt/*  
MED. DOCT.

*In publica ventilatione defendet*  
MELCHIOR PHILIPPUS *Hartmann/*  
Regiomont. Pruss.

IN AUDITORIO MAJORI,  
Ad diem Januarii MDCCII.

---

REGIO MONTI, Typis GEORGIANIS,

NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO atq; EXPERIENTISSIMO  
DOMINO  
DN. MICHAELI FRIDERICO

**S**hormann/

MEDICINÆ DOCTORI ATq; PRACTICO  
PRUDENTISSIMO, FELICISSIMO,  
REGIÆ SOCIETATIS SCIENTIARUM BRANDENBUR-  
GICÆ COLLEGÆ,

*Fautori & Amico à teneris multis nominibus colendo;*

Ut &

NOBILISSIMO. EXCELLENTISSIMO, atq; EXPERIENTISSIMO  
DOMINO

DN. JOHANNI FABRO,

MEDICINÆ DOCTORI, ATq; IN PATRIA  
CIVITATE PRACTICO ÆSTIMATISSIMO,

*Fautori & Amico per jus Hospitii cum Parente initi  
probatissimo atq; certissimo;*

In sui suorumq; studiorum com-  
mendationem hoc Academi-  
cum exercitium

*consecras*

MELCHIOR PHILIPPUS **S**artmann/

Resp.

## B. C. D.

**I**N quod ingenii nervorumvè contentione summâ Patrens Medicinâ incubuit *Hippocrates*, ut *Sympathie* locum in salutari assignaret arte; in eo vel ratione solius *pulveris Sympathetici* à quibusdam avi præsentis Patris tanti filiiis, bellè contesserantibus, defensum cum voluptate legere est. Ecquem verò fugiunt innumera, modò non stupenda, Medicis hóc in aspectabili sustinendâ metamorphoses, dum vel plebeja tyrannis pythagoricam totiès concelebraturâ metempsychosin, hunc consuevit susurrum edere: esse Medicos saltem spectatores morborum externorum, præcipuè vulnerum, Plurimosq; de methodo curandi eadem per *sympathiam* vix quicquam sapere. Indè scilicet haud potuimus à nobis impetrare, quin, paucissimis licet, *pulveris Sympathetici* naturam, ac operandi modum, dein & causas usum illius dissuadentes præsentem adumbraremus diatribâ. Faxit Divinum Numen feliciter!

### SECTIO I.

#### *De Sympathiâ, pulverisq; Sympathetici analysi ac Viribus.*

§. I. Sympathiam ratione originis ab *ὑπό τῆς συμπάθει*, id est, compati, antiquitùs derivari, adeoq; in genere quamcunquè denotare compassionem, tam est notum, quam quod est notissimum; medicò autem communissimò sensu sub *sympathie* comprehenditur nomine amor, h. e. affectus corporis unius ergà aliud ab effluxu atq; receptivitate naturalium ortus effluviolum.

§. II. Quando verò de *pulvere Sympathetico* præsentis loquitur rubrica diatribæ, tale intelligimus medicamentum, quod sanguini extravasato applicitum in hominem, cujus ille fuit sanguis, operatur, ut compatiatur pro ratione applicationis memorati medicamenti, hocq; è solo constat vitriolo in ☉ mensibus

A

Junii

Junii ac Julii, cum scilicet hic Leonis occupat signum, optimè ad albedinem, vel magè flavèdinem usq; calcinatum, prout uberiùs processum descripsere: *Kenel. Digbeus in Teatro suo Sympathetico, Marc. Marc. à Kronland in Philos. Vet. restit. p. 502. Ant. Deusing. in Exam. pulv. Sympath. ac Nicol. Papinius in Diff. de pulv. sympath. &c.*

§. III. Vitriolum esse sal aliquod minerale, nemo fors à veritate tantoperè se elongabit, ut negare audeat, illudq; acidum, ad naturam aluminis, ratione scilicet spiritus acidi ex eo consimiliter prodeuntis ac rodentis, valdè appropinquans, nisi quod metallis proximum, eadem sub se comprehendat, ac præcipuè Martem aut Venerem, adstipulante totà Jatro-Chymicorum turbâ, inter quos vide *Job. Schræder. Pharmacop. L. 3. C. 26. p. m. 483. Frid. Hoffman. Clav. Schræder. ad l. c. Exc. Bohnii disp. chym. Physf. 13. §. 31. B. Ettmüller. in Schræder. dilucid. Cap. de Vitriolo p. m. 243. Jac. Barneri Chym. Philos. Tr. 3. C. 2. p. m. 266. Jac. le Mort. Chym. Med. Physf. C. 17. p. m. 283. Io. Joach. Becheri Metallurg. p. 73. Io. Beguini Tyroc. Chym. L. 2. C. 4. p. m. 117. Joh. Franc. Viganì Medull. Chym. p. 4. Ch. Glaséri Chymischer Wegweiser C. 15. p. m. 318, Ott. Tachenii Hippocr. Chymic. C. 17. p. 127. &c. &c.* Natales hujus salis quod concernit, satis benè quidem delineantur hi à suprâ citato *Barnero l. a. p. 533*, quorum brevissimam idcirco hic allegâsse seriem fas esse judicamus ac æquum: In terræ matricibus inquit ille, reperitur acidum, quod embryonatum dicitur, cum instar embryonis in matrice se habeat, manifestum sæpe à Metallurgis deprehenditur; hoc ipsum quando venas metallorum, Martis, Veneris, rodit, se insimul coagulat, & cum particulis ipsius metalli in vitriolum abit, quod dein ex mineris illis solâ saltem decoctione elicitur, unde vitriola hæc soluta cum calcibus effervescent, ac præcipitatur metallicum, quod continuerunt. Propterea experitissimus *Joh. Monsehnüder in Tract. Metamorph. Planetar. ex omnibus metallis, quæ prius mixta cum regulo antimonii & pulvere de-*  
tonante

tonante vertit in cineres elici posse vitriolum subtilissimum ac virtute nobilissimum, proq; diversitate metallorum varium, luculentissimè edocet, *conf. etiam Joh. Schræder. in Quercet. Rediviv. p. 204. & 782.* Siq; vitriola in genere factitia expetas, recipe saltem laminas v. g. Martis, iisq; Spiritum affunde vitrioli, ille juxta proprium metallum rodit, rodendò coagulatur, & cum ex vitriolo sit, in simile dein corpus abit; sed enchirefis notanda, ut tantillum superaddatur aquæ, utpote à qua, quod corrosioni coagulatumq; est, solvitur, sic cum reliquo eò meliùs negotium succedit; factò hóc, aqua, quæ vitriolum se continere sapore indicat, filtratur ac leniter inspissatur, & in cella, vel meliùs in Sole crystallisatio vitrioli fit. *Barner. l. c. p. 447,*

§. IV. Sal acidum, & quidem fixum, esse vitriolum satis superq; notum est Pyrotechnia peritis; ast objiceret fortassis aliquis: cur ergo, si aciditate pollet vitriolum, non etiam rosione vires exferit? quâ ratione reliqua acida facillimè dijudicantur. Ubi monendum protinùs judicamus, vitriola in genere, quæ talia, non quidem sensibilibiter rodere, quia scilicet in iis acidum cum particulis metallicis coheret; effervesce tamen, adeoq; aciditatem occultam satis testari, si cum Sale v. g. Tartari conjungantur, ut intima fiat mixtura, qvalis est in tartaro vitriolato, atq; magis adhuc, si destillentur ea in spiritus, tunc certè potissimùm manifestum evadit acidum eorum, ut acidissimi olei vitrioli jam nullam injiciamus mentionem. Sed & volatile inesse vitriolo, abundè ex sulphure ejusdem Venereo elucescit, vel & pulvis emeticus, qui itidem è solo vitriolo soluto, & per evaporationem in crystallos redacto exoritur, quin & odor inter calcinandum satis penetranter nares feriens, testari poterant. *Conf. Ludovici pharmac. modern. secul. accommod. diff. I. qb. 89.*

V. Calcinationis terminò utuntur Spagyrici, quandocunq; artificiosam istam pulverisationem, quæ vel per ignem nudam, vel per radios solares, seu ignem, aut liqvozem aliquem &c. per-

petratur, indigitare gestiunt, vel plenius adhuc, calcinata vocant ea omnia, quæ mediante quocunq; corpore movente, viciniamq; aliorum duriorum corporum lædente, in calcem sive pulverem minutum redacta sunt, duplicemq; ob causam communiter institunt: (1.) ut facilius assumatur medicamentum in pulverem subtilissimum redactum, (2.) ut menstruis postea benignioribus compages illa referata corporum facilius pateat, quæ in propria massa omne sæpius menstruum deludunt, *Vid. Jac. le Mort. Chym. Med. Physf. C. 18. p. 300.*

§. VI. Autoris saltem hujus *pulveris sympathetici* ἐν παρό-  
δῳ quasi hic mentionem aliqualem adhuc injicere placet, & quan-  
tum quidem ex *Digbæi* scriptis conjicere licet, istum Monachum,  
& quidem Ordinis Carmelitarum, fuisse firmum est. Is ex Ori-  
ente, postquam nimirum universam paragraverat Indiam, redux,  
innumeros ipsi obvientes ægrotos cum summa omnium artis sa-  
lutaris peritorum virorum admiratione beneficiò solitarii hujus-  
ce pulveris sanaverat. Tandem fortunâ sic jubente Digbæus oc-  
casionem nactus monacho huic varia, & quidem gratissima, amoris  
contestandi affectûsvè præpensissimi indicia, ita in intimam e-  
jusdem pervenit amicitiam, ut totum hocce arcanum in Persia ipsi  
revelatum, ad unguem usq; huic detexerit. At verò Digbæus suc-  
cessu temporis JACOBO magnæ Britannæ Regi sub fide silentii  
quasi ultrò communicavit idem; Qui tamen leges vix observans  
silentii, mox Archiatro suo Theodoro de Mayerne, pulveris hujus  
admirabilis monstravit compositionem. Ab hoc Mayerne dein  
Dux de Mayenne in Galliis didicit, quò fati functò, Chirurgus ille,  
cujus operâ prænominatus Princeps in elaboratione hujus arcani  
utebatur, innumerus illustribus Viris magnò hoc vendidit pretiò,  
sicq; intra limites secreti manere desiit, nulli jam his nostris tem-  
poribus illius compositione seu præparatione incognitâ.

§. VII. Solum vulgare dum confusa atq; obscura quodam-  
modo adhuc hujus pulveris erat notitia, ducebatur in usum vitio-  
lum;



lum; dilucescit hoc ex processu à *Digbeo* in *Tract. de Sympathia* descripto, ubi vilissimum planè usurpatum perhibet vitriolum absq; omni preparatione vel additamento, hocq; saltem in aqua pluviali dissolutum, ac tantâ quidem in copia, ut si v. gr. ferrum politum immitteretur, inter extrahendum tinctum, ac in Venerem quasi transmutatum apparuerit; at enim verò temporis aliquâ intercalari morâ, magis sapere ex detectione scilicet hujus singularis remedii cœperunt, quando variis adæquatam illud morbis haud sine singulari animi sensere prolubio Posterì.

§. IIX. Nimirum adhibetur *pulvis Sympatheticus* in dysenteria, dolore dentium, hæmoptysi, ulceribus vesicæ cum mictu sanguinis, aliisque affectibus ex sanguine corrupto ortis, hæc scilicet observatâ methodò, ut excrementis dysentericorum, cruori ex gingivis constrictis exstillanti, vel per sputum ejectò, aut micturitione emissò; imò in genere per venæ sectionem expulsò, nudus saltem hicce inspergatur pulvis, absq; aliis multis internis propinatis remediis, & effectus nunquam satis laudandus promittitur à multis, *conf.* etiam *B. Ettmüller. in Schræd. dilucid. l. c. p. 245.* Hinc etenim *Alex. Chr. le Maître in Tract. Germ. de sympathetica curatione per depuratum & radiis solaribus calcinatum vitriolum p. 168. seqq.* bina proponit exempla, ubi cruori per venæ sectionem emissò vitriolum hocce sympatheticum fuit inspersum, brevì post vitiò massæ sanguineæ ita correctò, ut ægrotantes hæ mulierculæ mox pristinæ fuerint restitutæ sanitati. Ac Illustris *Boyleus* sequens fecit experimentum, quò colligi potest ejus virtutem esse quàm maximam, & nudis verbis non refragandam: habebat generosa quædam mulier hæmorrhagiam uteri jam quatuor mensibus, & tam potenter à pulvere sympathetico constipata est, ut valdè ægrotaret propter inhibitum fluxum, quem iterum provocavit per tincturam succini, notante *Vigano in Medull. Chym. p. 7.* Siq; propriam aliqualem non tædiosum lectu est allegare experientiam, novimus & nos aliquando infantem ex scorbutica matre natum, conti-

continuis excruciatum dentium doloribus, restitutum, imò planè ab his liberatum inpersò hòcçe pulvere in sangvinem satis vitiosum è gingivis & genitricis & nati expressum.

§. IX. Sed præcipuè in vulnerum curationibus vires suas exferere efficacissimas *pulvis sympatheticus* dicitur, si modò omnes debitè observentur conditiones sive circumstantiæ. Audiamus iterum *Digbeum* l. c. in genere sic differentem: accipitur vulnerati propriò sangvine commaculatum linteum, hocq; immittitur vas aqvâ repletò, in quo vitriolum magneticum optimè solutum est; illud autem de die in hypocausto, vere temperatò Solis calore, & noctu in camini quodam reponitur angulò, ita quidem. ut sangvis ægrotantis, linteo inhærens, requisitum perpetuò obtineat qvale status sani aliàs requirit subjecti temperamentum.

§. X. Interea sequentes quoq; minimè decet negligere cautelas: (1.) cuicunq; linteum sangvine maculatum offertur, pro sympathetica scilicet instituendâ curatione, is priùs sollicitè inquirat: an linteum hocce in fundum vulneris aut ulceris etiam penetrarit, nec ne? si respondeatur affirmativè, salva res erit; si verò negativè, reiteranda erit applicatio hujus, & intima quasi perpetranda intrusio, secùs vix ac nè vix quidem funditùs curabitur vulnus aut ulcus, ac postmodum lege artis poterit institui curatio. (2.) quoniam unâ aspersione aut immersione minimè statim restituitur æger, sed repetitâ sapius opus habet, idcirco probè servandum est linteum ac defendendum à sordibus, aut quibuscunq; aliis impuritatibus, his etenim evenientibus linteò, vulnus quoq; aut ulcus impurum fieri Practici confirmant. (3.) ultima, sed minimè vilissima cautela est, ut idem linteum ex allegato cumprimis antea *Digbei* monitò, in temperato perpetim, durante scilicet curâ, servetur calore, quod nimirum frigus superaccedens levi negotiò quærat algidam; calor verò nimius ardentem protinùs febrem ægrotanti conciliare.

SECTIO

## SECTIO II.

### *De modò, sive rationibus quibusdam operandi pulveris sympathetici.*

§. I. Quodsi cujusdam fors censoris morosi labyrinthei aurium hic minus impleantur fornices, vel splendentibus ejusdem animi haud obveniat fenestris, quod jucundum satis visu, a ut si planè sequens ipsi pagina displiceat, injuriam lectione sibi factam flammis ex spontanea nostra ulcisci poterit concessione. Lector verò benevolus ætiologias præcipuas operandi *pulveris sympathetici* nudis proferentes nos terminis, sine dubio habebit hæc vice excusatos, labores enim Aliorum, quemadmodum sugillare à nobis alienum est; ita quoq; eadem erga nos comitate ut Alii utantur, exoramus.

§. II. Aërem non tantùm generationem salium in genere promovere, sed præcipuè vitam viresq; ipsis competentes elargiri, nemo fors ibit in ficias, nisi qui quotidianæ obstrepere gestiat experientia. Nitrum ipsam soli deberi ferè aëri certissimum est, terræ quippe sulphureæ, & excrementis animalium fœcundatæ, ritèque præparatæ, si aëri libero trananti diutiùs exponantur, largiuntur sal copiosum, quod aqvâ communi eluitur, & dein coagulatur in nitrum; imò qui naturæ scrutator sedulus non in admirationem abripitur, quandocunq; cernit aërem ex calce & gypso nitrum educere, illudq; exterius efflorescere facere, prout in cellis ac antiquis muris fieri totò observare licet die.

§. III. Hæc præcipua quoq; ratio est, ob quam acutissimi hodierni Philosophi aërem aqvam subtilem, & vehiculum quasi salis penetrantissimi atheri nuncupent. Quod enim aqua resolvi possit in aërem, & aër in aquam, ex curiosissimo mechanico *Torricellii* instrumento & æolipilæ experimento satis superq; notum est. Cur itaq; vitriolum, quod pariter sal, utut sui generis, est, vitam viresq; aëri liberiori expositum non acquirit majores? quando-  
B quidem

quidem id acidum post calcinationem solarem in eodem valde pe-  
rè auctum, ex aëre ipsi accrevisse sufficientissimè testatur, Aëri e-  
tenim sal inesse acidum, per sequentia probatur experimenta:  
(1.) si cineres clavellari diu stant in aëre, in sal quasi medium nitri-  
forme abeunt. (2.) Oleum tartari per deliquium affusum syrupo  
violarum, viridem huic dat colorem, hæcq; mixtura per aliquot  
dies in libero aëre posita evadit in colorem brunnum, qvalis pari-  
ter fit, si illi syrupo affundatur spiritus acidus. (3.) Quia oleum  
vitrioli ab aëris humiditate insigne ponderis sumit incrementum,  
juxta accuratam experientiam *Wilb, Gouldii in Transact. Phil. Angl.*  
*Nr. 159. p. 496. & Act. erudit. Lips. Ao. 1685. p. 1315. conf. etiam*  
*Celeberr. D. Fried. Hoffmann. P. P. Hallens. disp. de generatione*  
*Salium.*

§. IV. Jamq; supponamus ulterius, nullò facilè con-  
tradicante, universum scilicet hocce aspectabile esse lucidum, à  
Sole illuminatum, radiisve lucem undiquaq; rectilineis sese dis-  
fundere; quodcumq; verò durissima penetrandi reperit ob-  
stacula, ad oppositos resilire angulos, vel alia solida quæcumq;  
corpora, hocq; negotium tamdiu repetere, donec repercussa-  
toties hincq; vel delassata spontè fors extingvatur, vel de soli-  
do isto corpore, in quod imegit, aliquas secum rapiat parti-  
culas.

§. V. Ast lucis hïc in genere dum mentionem injici-  
mus, vix adeò strictè communem hodiernorum attendimus di-  
stinctionem Philosophorum, quando videlicet hi inter lucem  
& lumen magnam constituunt differentiam, illamve ajunt quæ-  
ri deberi in motu & pressione ipsius materiæ subtilissimæ seu  
primi elementi, ipsam sidus lucidum constituentis; lumen  
verò in ipsa pressione rectilinea in globulis recepta & admissa,  
quæ ipsi globuli secundi elementi jam acta premuntur à centro  
versus

versus oculos nostros, illamq; suam pressionem & motum sive lumen nostris oculis communicante, *vid. Renat. des Cartes Part. 1. Epist. 58.* multò minus aliqua pro aëre lucido probando adducimus argumenta, cum sensibus nostris congrua non solum veniat hæc assertio; verùm & lucida naturalia minora, qualia sunt: v. gr. cicindela, ac quædam species lignorum aut piscium putrescentium; & artificialia: e. gr. lapis bononiensis, phosphoriq; solidi ac liquidi &c. luculentissima hic perhibere queant testimonia.

§. VI. Ulterius neq; hoc prætereundum erat silentio, lucidum innumeris abundare aërem particulis, quas atomos communiter vocitant, exq; illis conflatum quasi videri, quas quidem dudum corpusculares ante hodiernos ita dictos Philosophos primus excogitavit, aut magis adseruit, veteranus iste Philosophus *Democritus*, eademq; discipulis suis proposuit. Sic enim *Cicero lib. 4. de fatò* atomos, inquit, primus excogitavit *Democritus*, atq; ex earum concursu confici ea, quæ sunt & quæ cernuntur, statuit. Tales quoq; nos atomos seu minutissima intelleximus superius corpuscula in definitione *Sympathie*, sub naturalium effluviolorum nomine, quæ ratione atomi *Lucretio* minutiora veniunt corpuscula illis, quæ infasis per fenestram aut foramina radiis Solis videmus, *Vid. id. Cicero L. 1. de Nat. Deor.* Effluvia profectò talia sive atomos cum voluptate experiuntur nautæ, quando videlicet felicem transnavigant Arabiam, à crescentibus ibidem stupendâ in copiâ fragrantissimis aromatis; contra verò cum gemitu ac doloribus eorundem effectus sentiunt Angli & aliæ Nationes, lithontraces in frequenti culinari habentes usu; imò hinc in quibusdam Galliæ locis ob putridas & cœnosas atomos continuò exhalantes omnia argentea vasa aëri liberiori exposita, statim nigredine quasi obduci, & mucidâ saburrâ infici Scriptores referunt.

§. VII. Quodsi itaq; verum est similia gaudere similibus, cur non atomi etiam in aëre volitantes combinari possent cum illis é corporibus exhalantibus, si præsertim æqualitas adsit vel gradus, aut ponderis, vel deniq; figuræ; res in exemplo est clarissima. Quotusqvisq; enim Spagyricorum non observavit salia pulverisata ac postmodum coagulata, totiesq; invicem permutata, tamen iterum in se coire, adeo quidem ut unumquodq; minutissimum salis cujuslibet corpusculum sui simile quærat, cumq; illo unionem ineat, ut postmodum singula salia propriam repræsentent connatam figuram. Quod autem intensus Solis calor multum in specie contribuat ad cœniendas in vitriolo atomos, nemo fortassis tam atrociter in dubium vocabit, qui interdum vidit calorem ignis culinaris haud rejiciendum esse remedium in curandis ambustis membris, vel latrinæ etiam foetorem turpissimum, at tamen valde calidum, in deturbando oris halitu foetido &c.

§. IIX. Jam aliquas de modo operandi *pulveris Sympathetici* cogitationes apponere si fas est, existimamus Solis calorem vitriolum astrali ac magneticâ vi quasi imbuerè atq; imprægnare, ut insignes tales effectus quales supra recensuimus, in distantia paulisper, aut quandoq; planè absentia spargere possit corpora. Superius quippè dictum à nobis, maximam vitriolo affinitatem esse cum aëre, ex eoq; solo in immensum quantum augeri. Qvalem itaq; dicunt esse *Sympathiam* Mercurii cum Sole, Veneris cum Luna, magnetis cum Marte, succini cum palea &c. talis diversissimò interim respectu esse poterit *pulveris Sympathetici* cum sanguine humano. Nimirum quando v. gr. de magnete quæritur: quare tantò in Martem flagret amore? respondent veterani Philosophi, ex qualitate quâdam occultâ talem exercere tractionem. Neoterici verò curiosiori hocce magis vivacitate pervolitan-

tes

tes negotium, regerunt: ignavum per se ferrum excitare magnetem, incertosq; auræ subtilis motus rectâ effluviorum suorum incidentiâ (ut sic loqui liceat) temperando, in suam non tantum vertere naturam, sed & eosdem agendi conatus, *Vid. Celeb. Pechlini de purgant. exercit. c. 1. p. 23.* Sic vitrioli magnetici effluvia cum sanguinis ex homine ærometro subtilissimis particulis æquali motu coire posse haud adeo supra naturales positum vires est, ut vis hujusce pulveris depurativa in minutissimas resoluta atomos beneficio aëris convenientis, infecta, adeoq; vitiosa consequenter toti fors communicetur massæ sanguineæ. Quantumvis & sal hujus remedii depuratissimum summèq; penetrans seu æthereum redditum, eodem vehiculo eidem insufflatum materiæ, eosdem queat promptissimè effectus edere,

### SECTIO III.

*De causis usum pulveris sympathetici quadantenus dissuadentibus.*

§. I. Hactenus & in antecedentibus binis sectionibus *pulveris sympathetici* naturam seu indolem ac adhibendi methodum non tantum perlustravimus; sed & de operandi modo calci veluti quædam subjunximus cogitata. Nunc causas adhuc usum celebris hujus remedii vel dissuadentes, aut ad minimum

circumspectum indigentes, coronidis quasi loco  
annectimus.

§. II. Ubi quidem in usum vix trahi *pul-*  
*verem* huncce posse à Practico putamus, si (1) præ-  
parationi ipse non interfuit, h. e. quando obscurum  
adhuc habetur, an etiam legitimam sustinuerit So-  
larem calcinationem, an saltem culinarem? (2) u-  
trum hæc, scilicet calcinatio, præsentis ætate, aut  
præterita fuerit instituta? quia & sic temporis diu-  
turnitate vires hujusce remedii non solum perire;  
verum & recentis tanto certiores esse Autores re-  
ferunt, conf. *l. B. Helmont. de Magnet. Vulner.*  
*Curat. & Wilh. Maxwell. de Curat. magnet.*  
*l. l. c. l.* (3) locus quoq; in quo asservavit ha-  
ctenus alter, si lateat (an videlicet fuerit sic-  
cus, an humidus?) non parum spem omnem fru-  
stratur medelæ.

§. III. At (4) præcipue consideranda venit  
persona medicamentum hocce in usum vocitans;  
Si etenim fuerit Practicus à multis retro  
annis jam clarissimus, vel tentaminis loco, sive  
curiositatis gratiâ, etiamsi minimè exoptatus cor-  
respondeat semper effectus, svadere sæpius absq;  
omni famæ læsione illud poterit. Contrâ juni-  
or, famam prius ingressurus, temperet se opus  
habet ab hujus commendatione nimia, nisi irri-  
to



to demum eveniente successu infamiae notam  
sibi dente velit theoninò figi. (5) siq; tandem  
vires illius periclitari gestiari, experimentum ne  
in fordibus inquinatò, aut quòcunq; impurò in-  
stituat locò, ob exhalationes scilicet valdoperè  
huic contrariantes. (6) neq; in subjectis caco-  
chymicis, ob pravorum abundantiam humo-  
rum, nisi insimul subducere istam citissimè ac  
corrigere per interna propinata remedia mave-  
lit. (7) imò verò junioribus faciliùs applicare,  
aut commendare *Sympatheticum pulverem* poterit,  
quod scilicet horum robur vitale ut plurimum  
seniorum superet, in quibus haud infreqventer  
nil reliquum est amplius, quàm ut mors lenta  
desiderato dudum fato ipsos sepeliat tenebricosò  
feretrò omnium ærumnarum clausulâ.

§. IV. Cumq; ex antecedentibus jam sa-  
tis superq; constet fallacem toties famosi hujus  
remedii esse effectum; idcirco (8) abstinendum  
esse putamus Practico rationali ab hujus usu,  
si ulla saltem alia expertæ efficaciae necessitate  
exigente cognita habeat remedia, tum quod se-  
curiori longè sic incedat via, tum etiam præci-  
puè quod Empirici fugere hâc ratione titulum  
possit; nã quippe aretalogus vel jatratriptes dicen-  
dus, quicunq; semper unum idemq; omnibus in

ca-

casibus in ludibrium quasi nobilissimæ artis commenda-  
re vellet universale medicamentum? (9) iudicii  
tandem patitur ecclipsin, quicunq; in casibus extre-  
mè desperatis usum illius quantoperè ac utilitatem  
extollit, quia vel hâc ratione fiducia huic irâ dicto  
specifico adsignata, omni tunc cessante medelâ, pe-  
nitùs extingvitur: *Fine quippe vita nostra variis &  
occultis causis expositò, interdum quædam immeren-  
tia supremi fati titulum occupant, cùm magis in-  
tempus mortis incidant; quàm ipsam mortem ac-  
cersant. Valer. Maxim. Lib. IX. cap. XII.*

TANTUM!

---

COROLLARIA  
PHYSICO- ANATOMICA,

De Causis Symptomatum & mortis animalium  
pulmonibus præditorum sub campana, post  
eductionem aëris per Antliam pneumati-  
cam, quæ RESPONDENS amicæ disqui-  
sitioni subjicit.

I. Notum est, quod animalia pulmonibus præ-  
dita, sub campana constituta, post eductionem aëris  
per antliam pneumaticam, variè p. n. afficiantur,  
atq; tandem mortem subeant.

II. Symptomata vulgarissima sunt, partium qua-  
rundam.

rundam intumescencia, imprimis abdominis & oculorum, vomitio, dejectio, pulsus cordis celer, anhelatio, motus convulsivi diversarum partium, spuma circa os, &c.

III. Quæ symptomata tandem mors consequitur, in aliis celerius, in aliis tardius, pro idiosyncrasiæ subjectorum.

IV. Per Experimenta à DN. PARENTE publicè instituta cognitum, quæ tenerrimæ sunt ætatis tardius mori, item pulmonibus minùs sanguineis prædita, ranas, lacertas, &c.

V. Causæ horum symptomatum & mortis ab aliis aliter afferuntur; Nos statuimus fieri hæc omnia propter turbatum sanguinis circuitum, qui tandem sufflaminatus in vasis & visceribus vitam ipsam tollit.

VI. Probârunt hoc anatomæ in felibus, catellis, pullis, echinis terrestribus, talpis, muribus, sciuris, & aviculis variis, quorum animalium pulmones cum præcordiis inspecti, ut plurimum sanguinem stagnantem, aliquando etiam coagulatum, demonstrârunt.

VII. Idem singularis pulmonum inspectio, cum horum color intensissimè rubens & compages à sanguinis infractu tam densa, ut ab hepate vix dignoscerentur, in non paucis comparuerit, iidemq; aquæ impositi submersi fundum petierunt, instar pulmonum ex embryis exemptorum.

VIII. Quin in felium & pullorum atq; catellorum

C

non-

nonnullis, sanguinis in pulmonibus stagnatio fecit, ut non solum bronchialia vasa, sed etiam ipsam tracheam sanguine repletam viderimus.

IX. Stagnatio autem sanguinis isto modo in pulmonibus præcipue contingit, quod post educationes aer intra campanam residuus ab iisdem inspirari nequeat; quod dum fit, sanguis ad vasa pulmonum jugi appulsu affluens, propter denegatam expansionem vasorum bronchialium in extremitatibus capillaribus hæsit, aut sibi aliò viam vi facit, ut omnis circuitus tollatur.

X. Aer autem intra campanam residuus propterea ab animalibus inspirari nequit, quia intra angustias expansus est, qualis semper difficilius loco movetur, quam liber.

XI. Quod aer intra campanam expansus, difficulter, aut prorsus non movetur, hoc pluribus aliis experimentis demonstratum est; e. gr. quum candelâ, prunâ, fomes, funis ignarius, charta accenduntur, ad educationem hæc omnia extingvuntur propter denegatum motum intra conclusi, elegantissimum spectaculum præbent candelæ pro fumò, quæ quidem diu sub cineribus post educationes latentem ignem fovent; sed ut non ulterius possit proferpere & corpus consumere.

XII. Sunt qui pulmones ab aere comprimi volunt, quia aliquando minores comparent: verum hoc non à compressione ullâ, sed à collapsu vasorum, aut recessu spiritalium provenit, evidens hoc in ranis præcipue, lacertis & testudinibus.

XIII. Cæ-

XII. Cætera non negamus, quod aër habeat facultatem premendi; verùm intrâ campanam post eductiones, cùm aërem in motu esse negamus, negamus etiam ab hoc aëre quicquam premi. Certe si expansio non est confundenda cum pressurâ, expanditur aër ad eductiones, id quod experimentum de scypho æneo sumptum illustrat; si enim huic membranam laxiorem, seu minus rigidam vinculo allegaveris, & juxta tubulum, per què aër educitur, collocaveris, campana quidem superimposita corio adhærebit; membrana verò tantùm abest, ut intrâ scyphum adigatur, quod per pressuram fieri debebat, ut contrâ ea fursum attollatur, quasi inflata, id quod aliò experimentò declarari potest per tubulum liquoris impositum instar thermometri.

XIV. Quamvis & nos maximè dubitemus, an in hoc instrumento campana ipsa per pressionem aëris corio adhæreat; fieret enim per aëris, vel ante eductionem vel post eductionem campanam ambientis pressuram; sed non per pressuram prioris, quia sic & citra eductionem campana corio firmiter adhæreret; nec per pressuram posterioris, quia hic non habet proæresin, sive consilium magis ad campanam ruendi, quam dilabendi per rimas fenestrarum, aut per januas apertas, aut per inspiratorium pulmones.

XV. Repugnat idem sensui, sive experientia; si enim campana aut vitro, quod scypho æneo agglutinatum, lævissima quæque aut maximè compressilia superimposituris ad eductionem aeris nec minimum indicium pressuræ illius observabis.

XVI. Item

XVI. Item si campanam majorem campanæ minori, aut membranam membranæ supra scyphum æneum superimposueris, aut adstrinxeris, minor campana solum ad educationem aeris corio adhærebit, non item major superimposita: Sic & membrana interior ad educationem aëris introrsum adducetur, non verò etiam supra alligata, nisi alteri agglutinata fuerit, ad quod præcavendum papyrus interponi poterit, sicq; licet utraq; membrana cum papyro intermedia unò vinculo arcu scypho æneo adstringantur, intima membrana solum adducetur, nõ verò extrima, uti nec papyrus intermedia.

XVII. Porrò si Antlia pneumatica eodem lutò, quò aër exterior aliàs arcetur, parieti intergerino inferretur, ut aër eductus non posset ingredi conclave alterum, nihilominus ad educationem aëris in alterò conclavi campana corio firmiter adhærebit.

XVIII. Scilicet aër quidem omnibus incumbit, sed non omnia premit, premit solum quando est in motu, & quidem ea, quæ loco dimovere potest, ut ipsi cedant.

XIX. Ita quoq; meritò dubitamus, an intumescencia memorata, aëris in campana residui influxui, & intrâ animalia expansioni sit adscribenda, siquidem idem phænomenon ad perturbatum sanguinis circuitum referri potest, cum aliàs extra campanam similem intumescenciam ab eodem oriri manifestum sit.

XX. Accedit, quod enectorum, etiam capitibus præsectis, cadavera ad educationes non intumescant.

Nr. 19 als Titel nicht zu  
identifizieren!

01 A 6537




f


TA-70L

hier Stock 12 bis her verknüpft

1017







DIATRIBA,  
De  
**PULVERE**  
**SYMPATHETICO,**

*Quam*  
ANNUENTE DIVINI NUMINIS GRATIA  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
*SERENISSIMO ATq; EXCELSISSIMO PRINCIPE AC DOMINO*  
**DOMINO**  
**FRIDERICO WILHELMO,**  
REGNI PRUSSIAE, & ELECTORA-  
TUS BRANDENBURGICI  
HÆREDE &c. &c. &c.  
*GRATIOSO FACILITATIS MEDICÆ CONSENSU*  
IN REGIA AD PREGELAM UNIVERSITATE,  
*PRÆSIDE*  
**BENJAMINO Gwaldt/**  
MED. DOCT.

*In publica ventilatione defendet*  
**MELCHIOR PHILIPPUS Hartmann/**  
Regiomont. Pruss.

*IN AUDITORIO MAJORI,*  
Ad diem Januarii MDCCII.

REGIO MONTI, Typis GEORGIANIS,